

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Ad Prolegomena De Theologia.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

AD PROLEGOMENA
DE THEOLOGIA.

Pag. 20. ad fin. §. VI.

Oratione igitur & petitione *in primis nobis per omnem vitam opus est*, ut crescat de die in diem magis notitia hæc & fiducia misericordiæ. Videtis enim quantum in eo periculi sit, *si statim uno aut altero libello perlecto, nobis persuadeamus, nos Theologiæ Doctores esse*. Ante oculos sectarum exempla sunt, qui cum vix unam guttulam sanæ doctrinæ hausissent, tanquam Doctores orbis omnia implerunt falsis opinionibus; quia enim nunquam *in his spiritus certaminibus* versati sunt, neque hanc doctrinam de fiducia misericordiæ Dei apprehenderunt, facile fuit Satanæ eos subvertere pravis opinionibus.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 401. b. in Psal. L1. 10.

Ad pag. 21. in fine §. VIII.

Nec juvabit defensores Theologiæ Scholasticæ, quod ea misceat verbum Dei: *Si verbum Dei dicitur, quidquid cum verbo Dei dicitur, omnes hæretici, omnes damones, omnes homines non loquuntur, nisi verbum Dei; quia nihil tam absurde dici potest, quin verbum Dei misceri possit.*

Tom. I. Jen. Lat. fol. 58. b.

Ad pag. 22. in fin. §. IX.

Unde hoc fidele consilium suggessit, ut *adolescens vitet Philosophiam & Theologiam Scholasticam, tanquam mortem animæ suæ*, & Pauli verba Coloss. II. 8. *videre, ne quis vos decipiat per Philosophiam*, fortiter de Scholastica Theologia interpretatur.

Ad pag. 26. ante §. XIII.

Si apud *jureconsultos* proverbium recipitur: *turpe est Juristam loqui sine textu, tu vide, quam sit honorificum, Theologum* (qui maxime omnium debet) *loqui sine textu*, quem Apostolus jubet *calcea-*

calceatum esse pedibus in preparatione Evangelii, (Ephes. VI. 15.) & Episcopum potentem, non in Syllogismis & opinionibus hominum, sed in doctrina sana, nimirum ea, quam alibi divinitus inspiratam vocat. Hoc enim consilium si fuisset servatum, minus nunc Ecclesia haberet inutilium questionum & opinionum, & plus Evangelii & Christianæ veritatis.

Tom. I. Gen. Lat. fol. 45. b. 46. a.

Ad pag. eand.

Scripturæ sinceritas est custodienda, nec præsumat homo suo ore loqui, aut clarius aut sincerius, quam Deus elocutus est ore suo. Qui verba Dei non intelligit in rebus Dei per se loquentis, non credat se intellegendum verba hominis de rebus alienis loquentis; quis autem res Dei intelligat melius, quam Deus ipse? Imo quantum est, quod homo intelligit de rebus Dei: det potius honorem Deo miser homo, & vel confiteatur sese non intelligere verba ejus, vel omittat ea prophanare vocibus suis novis ac propriis, ut pura nobis maneat genuina speciem amabilis sapientia Dei.

Tom. II. Gen. Lat. fol. 430. b.

Ad pag. 33. lin. 3. adde.

In eandem sententiam ad Psalm. I. 2. scribit: *dicat ergo, beato huic viro erit voluntas sua in lege Domini*, prorsus nihil videbit, amabit, odiet, bonorum malorumve, sed hac voluntate prorsus super omnia creata elevabitur. Quid igitur mirum, si beatus sit, qui cœlesti hac voluntate præditus, nihil eorum sapit, in quibus colliduntur stulti beatitudinis æstimatores: Tum quia *per hanc voluntatem, jam unum cum verbo Dei factus* (siquidem amor unit amantem & amatum) *necesse est, ut gustet, quam bonum, suave, purum, sanctum, mirabile sit verbum Dei, summum scil. bonum, quod illi gustare non possunt, qui vel manu, vel lingua sunt tantum in lege, voluntate autem in sordibus rerum.* Sunt enim multi garruli, de lege Domini multa loquentes, multa

b

quo-

quoque cogitantes, sed nondum amantes. Non dicit: beatus vir, cujus lingua in lege Domini, non cujus manus, non cujus mens aut speculatio, quibus inflantur & palpant seipsos, quasi jam sancti & salvi sint.

Porro *voluntas hac tota vita est hominis*. Non est enim metuendum, ne ullo alio membro extra legem sit, qui voluntate hac, vitæ fonte, & capite in illa fuerit. *Quo enim amor fertur, huc sequuntur & cor & corpus*. In quo iterum vide contrariam piorum & impiorum conversationem. *Impii* suam justitiam *incipiunt ab extra*, & tendunt ad intra. Primum, opus simulant, deinde & verbum, postea & cogitationem exercent, & hoc eorum summum fastigium, tum mox aliorum Magistri, quidquid cogitant, dicunt, faciunt, sanctum ac divinum esse volunt, cum ad hanc secretam voluntatem nunquam pervenerint. *Pii incipiunt ab intra*, à sancta hac voluntate, tum sequitur meditatio, tandem & opus extra, post hæc doctrina aliorum. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Non est sine damnatione meditatio, nisi prior sit voluntas, amor ipse per se docebit meditari. Verum hæc voluntas desperatis nobis de viribus nostris, per humilem in Christo fidem de cœlo petenda est. Hoc bene nota: mos est & natura omnibus amantibus, de suis amoribus libenter garrere, cantare, fingere, componere, ludere, item libenter eadem audire. Ideoque & huic amatori beato Viro, suus amor, Lex Domini semper in ore, semper in corde, semper (si potest) in aure est. *Qui enim ex Deo est, verba Dei audit*. Cantabiles mihi erant, inquit, justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et iterum: & meditabor in justificationibus tuis semper. At qui siliquas porcorum versant, qui de rebus naturalibus, de opinionibus hominum &c. & nugis garrunt die ac nocte, putas beati sunt viri?

Tom. II. Jen. Lat. fol. 14. a, b.

Ad

Ad pag. 39. lin. 2. post §. XVII.

Neque enim *consistit* Christianismus (*Theologia*) in scientia, sed in *affectu*. Hic affectus nunquam verbo perfecte credere potest, propter infirmitatem carnis peccati. Quare perpetuo manent discipuli, & ruminant verbum, ut subinde nova aliqua flamma exsuscitet cor, ne torpeat, aut fastidiat verbum.

Tom. III. Jen. Lat. fol. 303. b.

Ad eand. pag. in fine de *Theol. Crucis*.

Quo tempore coepit *Theologia Scholastica*, id est, illusoria (sic enim sonat Græce) eodem evacuata est *Theologia crucis*, suntque omnia plane perversa. *Theologus crucis*, (id est, de Deo crucifixo & abscondito loquens) pœnas, cruces, mortem, docet esse thesaurum omnium pretiosissimum, & reliquias sacratissimas, quas ipsemet Dominus hujus Theologiæ consecravit, benedixitque non solum tactu suæ sanctissimæ carnis, sed & amplexu suæ super sanctæ & divinæ voluntatis, easque hic reliquit vere osculandas, quærendas, amplexandas. Quin beatus & benedictus, qui dignus fuerit Deo visus, ut ei donec turbi thesaurum reliquiarum Christi, imo qui intelligat sibi donari. Nam cui non offeruntur? Sicut B. Jacobus I. 2. *omne gaudium existimate fratres, cum intentiones varias incideritis*. Non est enim omnium hæc gratia & gloria, ut hos accipiant thesauros, sed electissimorum filiorum Dei.

Theologus vero gloriæ (id est, qui non cum Apostolo solum crucifixum & absconditum Deum novit, sed gloriosum cum gentibus, ex visibilibus invisibilia ejus, ubique præsentem, omnia potentem videt & loquitur) discit ex Aristotele, quod objectum voluntatis sit bonum, & bonum amabile, malum vero odibile. Et inde dissentiens Theologo crucis, definit thesaurum Christi esse relaxationes & solutiones pœnarum, tanquam rerum pessimarum. Contra, *Theologus crucis*, thesaurum Christi esse impositiones & alligationes pœnarum, tanquam rerum

optimarum & amabilissimarum. Et tamen adhuc ille accipit pecuniam pro suo thesauro, hujus nec gratis oblatum dignantur vel intuitu, sed persequuntur denique.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 114. a, b.

Ad p. 47. de Theol. Catechetica, ad initium §. XXXVI.

Scimus quidem Theologiam esse omnibus fidelibus communem debere, sed rursus scimus alios lactis esse participes tantum, alios capaces solidi cibi, & unam eandemque veritatem capi diversis modis, quos omnes attemperari omnium capacitati possibile non est, cum interim tamen ipsa veritate non fraudentur. Paulus etiam infirmos ceremoniarum scrupulis vexatos, non vult robustæ fidei exemplis & doctrinis offendi.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 239. a. in Psal. 22.

Ad p. 51. seq. §. xxxix. de Theol. Mystica Dionysii.

Mihi (ut magis temerarius sim) in totum displicet tantum tribui, quisquis fuerit, Dionysio illi, cum ferme nihil in eo sit solidæ eruditionis. Nam ea, quæ in cœlesti Hierarchia de Angelis cominiscitur, in quo libro sic sudarunt curiosa & superstitiosa ingenia, qua, rogo, autoritate aut ratione probat? Nonne omnia sunt illius meditata, ac prope somniis simillima, si libere legas & judices? In Theologia vero mystica, quam sic instant ignorantissimi quidam Theologistæ, etiam perniciosissimus est, plus Platonis quam Christianis, ita ut nollem fidelem animum his libris operam dare vel minimam, Christum ibi adeo non discas, ut, si etiam scias, amittas; expertus loquor, Paulum potius audiamus, ut Jesum Christum, & hunc crucifixum discamus. *Hæc est enim via, vita & veritas: hæc scala, per quam venit ad Patrem. Sicut dicit: nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Tom. II. Jen. Lat. fol. 297. a.

AD